

**Officium.** Nemo debet simul subire duorum officia, si sint incompatibilia; sic Advocatus non potest absque infamiae & praevagationis notâ duobus litigantibus sibi contrariis inservire in eadem causa controversa. *t.t. ff. de praevagatione.* At si officia fuerint compatible, iis quis licite praesse potest; sic potest quis simul esse Advocatus & Notarius publicus, cum hæc duo sibi invicem non sint contraria; item potest quis esse simul Professor Juris & Consiliarius Principis.

**Officium** suum nemini debet esse damnosum, *l. 7. ff. testam. quemad. aper. excipe,* nisi quis proprio dolo, vel culpa sibi inde damnum contraxerit: damnum enim, quod quis propriâ culpâ sentit, sentire non videtur: sibi imputet, quod non cautius egerit, *l. 203. ff. de R. J.* Ergo si Procurator vel Advocatus ob propriam contumaciam à Judice poenâ aliquâ pecuniariâ mulctatur, non potest damnum illud à cliente suo repetere contrario mandati iudicio; Ratio est, quia id damnum sibi ipse ex proprio delicto frivole contraxit, *l. 46. §. 5. ff. de procurat. c. 86. de R. I. 6to.*

**Onera.** Literatis & Clericis vacatio onerum personalium est concessa; onera tamen patrimonialia pro rebus & possessionibus ferre debent, *l. 5. C. de SS. Eccles.* Ratio est, quia hæc onera ipsis rebus inhaerent, non autem personis & capitibus: prædia enim per se ratione tributorum sunt obligata, & persona possidens non per se, sed prædiorum causa saltem est obligata, *l. 7. ff. de publican. §. ve-tigal.*

**Onera.** Is regulariter ferre tenetur onera, qui percipit emolumenta; Ratio est, quia secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi debere, quem sequentur incommoda, *l. 10. ff. de R. J.* Interdum tamen contrarium obtinet, ut si foemina, vel furiosus aut infans sint heredes, qui ad hereditatem admittuntur absque tutelæ onere, *§. un. in fin. Inst. de legit. patron. tutel.* tunc alius cogitur esse tutor, nim. proximus agnatus.

**Oppignoratio** rerum non transfert dominium in creditorem, sed possessionem saltem naturalem *l. 35. §. fin. ff. de pignor. act.* quod fit in securitatem creditoris.

**Ordo** mortalitatis dicitur turbari, quando filius ante patrem moritur; ordo enim mortalitatis vult, ut is, qui prius in mundum venit, prius è mundo exeat, sive moriatur. *l. 15. ff. de inoffic. testam. et*